

nem, quam supra proposuimus. Recte cogitant aduersarij dilectionem esse legis impletionem, & obedientia erga legem certe est iusticia, sed hoc fallit eos quod putant nos ex lege iustificari. Cum autem non iustificemur ex lege, sed remissionem peccatorum & reconciliationem accipiamus fide propter Christum, non propter dilectionem aut legis impletionem, Sequitur necessario, quod fide in Christum iustificemur.

Deinde illa legis impletio, seu obedientia erga legem, est quidem iusticia cum est integra, sed in nobis est exigua & immunda. Ideo non placet propter seipsam, non est accepta propter seipsam. Quancumque autem ex his quae supra dicta sunt constet iustificationem, non solum initium renouationis significare, sed reconcilationem, qua etiam postea accepti sumus. Tamen nunc multo clarius perspici poterit, quod illa inchoata legis impletio non iustificet, quia tantum est accepta propter fidem. Nec est confidendum, quod propria perfectione, & impletione legis, coram Deo iusti reputemur, ac non potius propter Christum.

Primum, quia Christus non desinit esse mediator, postquam renouati sumus. Errant qui fingunt eum tantum primam gratiam meritum esse, nos postea placere nostra legis impletione, & mereri vitam aeternam. Manet mediator Christus, & semper statuere debemus, quod propter ipsum habeamus placatum Deum, etiam si nos indigni sumus. Sicut Paulus aperte docet, cum ait. Nihil mihi conscientius sum, sed in hoc non iustificatus sum, sed sentit se fide reputari iustum propter Christum, Iuxta illud, Beati quorum remissae sunt iniuriae